

Lea

Sammelband 38

3.
3.
IO. ANDR. SCHMIDII D. PP.

ABBATIS MARIAE - VALLENSIS

COMPENDIVM
THEOLOGIAE
EXEGETICAE

IM PRIVATIS LECTIONIBVS
PERPETVA EXEMPLORVM PRAXI
ILLVSTRANDVM.



HELMSTADII,

Imp. JOH. MELCH. SÜSTERMANNII

Bibliopolae.

Typis. HENRICI HESSII.


ANNO MDCCXI.

6. Februar 23

ur 3 finit

3.
JOANNES SCHMIDII DUL
JESUITS MARIAE - VIRTUTIS
COMPENDIUM
THEOLOGIAE
EXERCITACAE
COMPENDIVM
HOC
AUDITORIBVS MEIS
SACRVM SIT!

HELMUTH
HOC MICH DETERMINA
Ephesios
Tunc HENRICI HERZI
LONDONI



THEOLOGIAE

EXEGETICAE

ΠΡΟΛΕΤΟΜΕΝΑ.

De

natura & constitutione theologiae exegeticae.

§. I.

 Heologia (*a*) exegetica
(*b*) est scientia de arte, (*c*)
genuinum textus sive ora-
tionis sacrae (*d*) sensum,
(*e*) ad hominis christiani
aedificationem (*f*) inveniendi &
cum aliis communicandi, (*g*)

NOTAE.

(*a*) Quae circa hanc vocem notari pos-
sunt, ea auditoriexegeticae ex theo-
logiae dogmaticae prolegomenis
c. I. §. 1. not. a iam nota esse, hoc loco
supponimus.

(*b*) Haec ad differentiam aliarum sci-
entiarum theologicarum ita dicitur ab

A.

εξη-

2 Denatura & constit. theolog. exegeticae.

Ἐξηγήσει, enarratione sive explicati-
one orationis sacrae. Act: 15, 14. conf.
Joh. 1, 18. Dicitur illa etiam ex usu
multorum hermeneutica sacra, licet
haec qvibusdam obiecto & subiecto
differre videatur ab illa: item pro-
phetia, 1. Cor. 14, 3, 4. 22. seqq. ra-
tio cognoscendi literas sacras &c.

(c) Qvia post contemplationem obie-
cti ad opus aliquod efficiendum, ge-
nuinum scilicet orationis sacrae sen-
tum per certa media eliciendum &
cum aliis communicandum, tendit.

(d) Qvaecunqve illa fuerit, sive bre-
vis sive prolixa, sive hoc vel illo modo
considerata. Sacra autem dicitur
illa ab efficiente, obiecto & fine.
Et haec sacra oratio sive textus est
obiectum, circa qvod occupari de-
bet interpres.

(e) Sive mens & sententia Spiritus S.
per verba orationis illius intenta, per
certa media indaganda & cum aliis
communicanda.

(f) Tum in fide concipienda & confir-
manda, tum in vita homine christiano
digna, ad scripturae praeceptum
normanda. Aedificari autem potest
per hanc tum ipse homo, qui interpre-
tis officium sustinet, tum proximus
qvivis. Habet haec aedificatio ratio-
nem

nem finis externi intermedii, qvi ultimum, aeternam salutem, respicit.

(g) Sunt hi actus ad finem internum, qvi in nostra potestate est, spectantes.

§. II.

Theologiae exegeticae partes sunt tres, quarum *prima* agit tum de fine cuius (a) tum de fine cui: (b) *secunda* de obiecto eiusq; varietate: (c) & *tertia* de mediis, tum generalibus, (d) tum specialibus (e)

NOTAE

(a) Tum *interno*, qvi est genuinus sensus per certa media inveniendus: tum *externo*, qvi est aedificatio hominis christiani in fide & vita.

(b) Auditorio scilicet integro, vel unico etiam auditore, imo ipso quoq; interprete, cui genuinus orationis sacrae sensus est acqvirendus.

(c) Qvod est oratio sacra, circa quam interpres occupatur, ut eius genuinum sensum investiget, ut cum aliis eundem communicare possit.

(d) Quae praeter alia, in interprete re-

A 2 qvisita,

qvisita, sunt media grammatica, rhetorica, logica, theologica, historica, exegetica eaque communia & specalia.

(e) Quae speciatim vel circa certos textus, in parte secunda designatos, vel integrum aliquem librum adhiberi debent.

PARS I.

De fine cuius & cui.

§. I.

 Inis cuius est vel externus, qui non est in potestate artificis : vel internus, qui est in illius potestate. Ille est aedificatio hominis christiani : (a) hic vero est genuinus orationis sacrae sensus (b) per certa media inveniendus.

NOTAE.

(a) Vide quae diximus in theologia homiletica part. i. §. 2. p. 4. sq. Inservit

De fine

5

servit etiam theologiae *dogmaticae* ad dogmatum confirmationem, *po-*
lemicae, ad redarguendos illos, qui scripturae sensum depravant, & *mo-*
rali, ad agendorum & fugiendorum confirmationem.

(b) Sensus in genere est id, quod oratione, tum ore proleta, tum scripto comprehensa, significatur, seu intelligendum offertur. Sensus vero in specie orationis sacrae hoc loco est id, quod Deus ipse per orationem in scriptura sacra comprehensam, tanquam mentis divinae characterem, hominibus cognoscendum atque intelligendum exhibit. Sive, est mens vel sententia, quam Deus per orationem sacram homini indicare intendit.

§. II.

Sensus textus sive orationis sacrae est vel literalis, (a) vel mysticus. (b)

NOTAE.

(a) Qui est mens autoris, immediate per ipsa verba, sive sint propria sive tropica, intenta. Est que vel *proprius*, qui oritur ex verbis in propria & nativa significatione acceptis: vel *tropicus*, qui oritur ex verbis in significatu

A 3

nificatu



nificatu tropico acceptis, De hoc sensu literali sequentes sunt notandi canones generales : (1) *sensus literalis in uno eodemq; loco non nisi unicus esse potest*, propter sensus & significacionis naturam, veritatis unitatem, scripturae S. claritatem, certitudinem & finem. (2) *quilibet scripturae locus sensum literalem admittit*, quia etiam sensus mystici fundamentum est literalis. (3) *sensus literalis a verbis scripturae non est separandus*, propter ex actissimam verborum & sensus cohaerentiam. (4) *sensus literalis praecipue est argumentativus*, non tamen excluso mystico.

(b) Quies mens sive sententia, quam autor non immediate per verba, sed per res, verbis sive propriis sive tropice acceptis, denotatas, indicatam voluit. Res illae, quae proxime per verba significantur, sunt vel res proprie ita dictae, naturales & artificiales, vel persona, vel quasi persona. Fundamentum sensus mystici est Dei οὐγκατάθεσις ; cum Deus, ad captum hominum se accommodans, sub involucris rerum humanarum, mysteria sua coelestia proponit. Ex sensu mystico, quem scriptura intendit & explicat, peti potest dogmatum

gmatum confirmatio; qvod evincit epistola ad hebraeos. Est porro hic sensus mysticus vel *innatus*, qvi in scripturis ipse expresse traditur & proprio sensus mysticus dicitur: vel *illatus*, qvem ipsa scriptura non ostendit, sed qvi ab interprete inferatur. Hic illatus iterum est vel *oblatus*, qvi probabile fundamentum habet in literali sensu & convenientiam rerum analogicam, tum etiam analogiae fidei conformis est, vel *quaesitus* & saepe *extortus* & *contortus*, qvi probabili fundamento in sensu literali destituitur, vel a re, a qua desumitur, nimis discrepat, vel ad obiectum alienum & perversum accommodatur, vel alias a scripturae analogia nimis remotus est.

§. III.

Sensus mysticus (a) dividitur (b) in typicum, (c) allegoricum, (d) & parabolicum. (e)

NOTAE.

- (a) Alias etiam hic sensus dividi solet
(1) in *allegoricum*, cum verba scripturae praeter literalem sensum significant aliquid in N. T. qvod ad chri-

A 4

stum

stum, vel ecclesiam pertineat : (2) in *tropologicum*, cum verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores: & (3) in *anagogicum*, cum verba aut facta referuntur ad significandam vitam aeternam, iuxta versus :

Litera gesta docet: quid credas,
allegoria;

Moralis quid agas: quotendas,
anagogia.

Sed, praeterquam, quod haec distinctione multis modis peccet in regulas bonae divisionis, non est triplex sensus scripturae explicatio, sed triplex usus scripturae recte explicatae, evolutio, sive triplex applicatio & accommodatio unius sensus literalis scripturae ad articulos fidei, mores & vitam aeternam.

(b) Fundamentum huius divisionis suppeditat triplicitas rei, per quam autores res quasdam indicare possunt. Vel enim illa res *praelusit* rei, & est *typus*: vel *allusit* ad rem, & est *allegoria*: vel *collusit* & est *parabola*. E. Goezius R. E. p. 131.

(c) *Typicus* est, quando scripturae autor per res V. T. indicare voluit res N. T. Christi scilicet praestiti, atque ecclesiae. Res significativa est *typus*, res significata

significata dicitur *antitypus*. Typus est vel *propheticus* vel *historicus*. Ille consistit in propheticis actionibus & visionibus. *Actiones* prophetarum typicae sunt, quando iis, quae exteriori divino mandato prophetae peragebant, mysticum aliquod & occultum adumbratur. Es. 20, 1. Jer. 13, 1. sqq. *Visiones* oblatae fuerunt vel dormientibus per somnia, eaque vel nuda absque figuris, Matth. 2, 12. vel figuris involuta, Gen. 28, 12. Gen. 41, vel *vigilantibus*, ita ut quaedam additam haberent typorum, in visione obvenientium, interpretationem, ut Jer. 24, 5. Dan. 8, 1. 19. quaedam interpretatione expissa careant, ut Ezech. c. 40. sqq. Typus *historicus* est, quo res gestae vel factae ad umbrant res in N. T. gestas & praesertim Christum. Hic etiam est vel innatus vel illatus, de quo supra in genere. Porro *quidam* typi immediaete respiciunt Christum, eius scilicet vitam, mortem &c. *quidam* vero ea, quae Christum artinent, ut i. Petr. 3, 21. Typi praeterea sunt vel rerum gestarum vel ceremoniarum. Item typi futurorum *quidam* statim & repetiti, *quidam* singulares, qui sensim contigerunt. Tandem typus est vel tota-

A 5

lis,

lis, qvi in omnibus, aut certe potioribus partibus, antitypum praefigurat, qvalis explicite in scriptura non datur: vel *partialis*, qvando una vel altera tantum typi actio antitypum exprimit. Glash. Phil. S. lib. 2. part. 1. tract. 2. sect. 4. p. 451. sqq.

(d) *Allegoricus* est, qvando historia scripturae vere gesta ad mysterium qvoddam, sive spiritualem doctrinam, ex intentione spiritus S. referuntur. Res ergo significativa est historia scripturae, res significata est alia scripturae res, articulus fidei, vel morale. Et hic participat divisionem sensus in innatum & illatum &c. ut supra.

(e) *Parabolicus* est, qvando res aliquant gesta narratur, & ad aliud spirituale designandum refertur. Parabolae diversae sunt partes, *una πότασις*, sistens narrationem eius, cum quo aliqvid comparatur, cuius nota est *τὸ quemadmodum*, vel similis vox: altera est *ἀπόδοσις*, exhibens prioris explicationem & applicationem, cuius character est, *sicut iam*, vel similis vox. Matth. 13. 47. sqq. *Ἀπόδοσις* autem non semper per singulas partes applicationem facit, sed inter-

interdum sola applicatione generali est contenta, cuius character sunt similia verba: *si res quoque se habet cum hac vel illare.* Matth. 18, 23. sqq. Interdum nulla prorsus instituitur $\alpha\pi\delta\sigma\tau\omega\varsigma$, praecipue quando id, quod cum re comparatur, ab initio narrationis statim exprimitur, Matth. 13, 23. 31, 33. sqq. Interdum etiam narratur nuda $\pi\acute{p}o\tau\alpha\varsigma$ sine omni nota vel $\pi\acute{p}o\tau\alpha\varsigma\omega\varsigma$ vel $\alpha\pi\delta\sigma\tau\omega\varsigma$. Luc. 15, 11. sqq. ex vers 7. & 10. repetenda. Parabola quoque est vel innata, vel illata, ut supra.

§. IV.

Circa sensum, tanquam obiectum hucusque explicatum, occupatur operatio, illius scilicet inventio sive actualis expositio (a) & cum aliis facta communicatio, (b) quae etiam finis rationem habet. (c)

N O T A E.

(a) Sensus inventio sive actualis expositio hoc loco non sumitur pro complexu omnium actuum praecedentium, (de quibus in tertia parte agetur) sed tantum pro actu finali reliquias

qvos praesupponente. Et haec inventio sensus primo respicit ipsum interpretem, qvi, in sui perfectiōnem & usum, orationem sacram sibi exponit.

(b) Postquam interpres sibi sensum acquisivit, eundem velore vel calamo cum aliis communicat, ad eorumdem perfectionem & usum. Utraque operatio requiritur, ut id colligi potest ex 1. Tim. 4. v. 14, 16.

(c) Eius enim gratia tot alii actus, qyl in tertia parte praescribuntur, suscipi debent.

§. V.

Finis cui est subiectum, qvod ad sui perfectionem expositione sensus indiget, (a) eiusdem tamen percipiendae compos est. (b) Est hoc tum ipse exegeta sive interpres, (c) tum qvisvis alias, (d) in quo illae conditiones dantur.

N O T A E.

(a) Indigentiae huius causae sunt sequentes: intellectus finiti qualitas, eiusdem, iam corrupti, in spiritibus coecitas, voluntatis corruptae perversitas, diaboli malitia, rerum divina-

divinarum sublimitas , qvorundam
scripturae S. locorum difficultas.

(b) Capacitas illa suos habet gradus , &
aliam maior atque exquisitor est in eru-
ditis, alia minor & simplicior in rudio-
ribus. Per illam sensus genuinus per
varia media exegistica accurate erui
potest , per hanc homo rudis acci-
pit orationis alicuius sacrae sensum
genuinum , & in eo vel simpliciter
acquiescit,sine arguento exegetico,
vel uno aliquo generali , cuius capax
est, contentus vivit.

(c) Quidcum accuratiorem viam ingre-
di & sibi atque aliis prodesse velit,
ut sensum non duntaxat eruere, sed
& eundem à falsis expositionibus
vindicare possit, certis ex parte intel-
lectus & voluntatis instructus esse
debet requisitis. In intellectu prae-
cipue adsit philologia , philosophia
& theologia. Ad illam referimus
praeter notitiam linguarū orientali-
um, graecae, hebraicae, chaldaicae, sy-
cae, arabicae, aethiopicae & sama-
ritanae , grammaticam & rhetori-
cam sacram. Ad istam referuntur ,
historia , mathesis , logica , meta-
physica , physica , theologia natu-
ralis , ethica & politica. Ad hanc
requiruntur theologia dogmatica ,
po-

polemica & moralis cum historia sacra. Imo necessum etiam erit habere praegustum aliarum scientiarum, iurisprudentiae atque medicinae, nec non aliarum artium, ob varia argumenta sacra, quae illarum cognitionem postulant. Paucis: encyclopaediam quendam, qualem olim varii autores usu non contemnendo dederunt, exegetae commendamus. Ex parte voluntatis requiritur pietas, amor & patientia laboris, modestia &c.

(d) Qvicum in tantum scripturae sensum investigare intendat, in quantum illi ad fidem & salutem sufficit, tot in intellectu dotes ab eo exigitur, virtutibus tamen ex parte voluntatis iisdem gaudere debet.

PARS II.

De
objecto theologiae expositae,
TEXTU SACRO.

§. I.

Textus sacer (a) est oratio (b) sacra (c) de rebus in scriptura sacra contentis, (d) quatenus illius genuinus sensus est investigandus. (e) NO-

NOTAE.

- (a) Obiectum generale exegeticae sacrae est tota scriptura sacra, speciale vero est quaevis libri sacrificatio, aut sectionis certa particula, sive brevior, sive prolixior.
- (b) Quae praedicatum vel praedicata alicui subiecto vel subiectis inesse dicit, vel non inesse. Haec ipsa oratio, dum communem orationis naturam participat, omnino etiam secundum affectiones grammaticas, rhetoricas & logicas considerari poterit.
- (c) Quae ita dicitur a causa efficiente, obiecto & fine.
- (d) Quae sunt praecipue credenda & agenda, non exclusis aliis, quae in sacro codice continentur & expositione indigent.
- (e) Quamvis articuli fidei non obscuris, sed perspicuis verbis in scriptura proponantur, nihilominus quaedam ex verbis & phrasibus in quibusdam locis oriuntur difficultates, quae tamen studio linguarum & aliis interpretationis adminiculis tolli possunt. Occurrunt autem in scriptura voces & orationes obscurae, non respectu Dei, qui illas dictavit, nec respectu scripturae, quae est vox Dei, sed respectu hominum non aseqventium vel investigan-

gantiū sensum Dei. Hinc etiam eruditissimi quique; interpres fateri coguntur, dari in quibusdam locis inextricabiles difficultates, quae ad coelestē academiam sunt reservandae. Observandum simul erit, quod quaedam obscuriora scripturae loca talia sint, vel per se & teorsim sumta, vel cum aliis collata. Illa talia sunt, vel propter res, quae sunt mysteria fidei, vel propter verba: haec sunt, quae cum aliis scripturae locis pugnare videntur. Verba iterum considerari possunt, vel ut sunt sigillatim sumta, sive propria sive figurata, vel coniunctim sumta, vel ex phrasē vel ex toto orationis habitu aestimanda. Quia ergo haec omnia scripturae obscuritatem conciliare possunt, interpreti incumbet, eam debitissimē diis removere, ut genuinus sensus patescat.

§. II.

Textus sacer ex variis capitibus dividi potest vel ratione orationis, (a) vel ratione generum (b) vel ratione sensus. (c)

NOTE.

- (a) Et hac ratione textus erit vel enunciatiivus vel non enunciatiivus, vel affirmatiivus.

affirmativus vel negativus ; vel universalis , particularis , indefinitus & singularis ; vel modalis vel expônibilis , vel conditionalis , disiunctivus vel copulativus &c.

(b) Hoc respectu textus est vel didascalicus , vel elenchiticus , vel paedeuticus , vel epanorthoticus , vel consolatorius .

(c) Huius intuitu textus erit vel literalis vel typicus , vel allegoricus , vel parabolicus .

§. III.

Distinctior forte ad scopum nostrum divisio erit , si textus ponatur vel literalis in genere , (a) vel historicus , (b) vel typicus , (c) vel allegoricus , (d) vel parabolicus , (e) vel exemplaris , (f) vel propheticus , (g) vel evangelicus , (h) vel epistolicus , (i) vel apocalypticus , (k) vel pure dogmaticus , (l) vel adhortatorius , (m) vel promissorius , (n) vel comminatorys , (o) vel primitivus & derivativus . (p)

N O T A E .

(a) Textus *literalis* in genere est , qvi mentem autoris , immediate per ipsa

B

- ipsa verba , sive sunt propria sive tropica , intentam exhibet .
- (b) Textus *historicus* est , qvi res vere gestas enarrat .
- (c) Textus *typicus* est , in quo datur typus vel propheticus vel historicus : sive , in quo perres V. T. indicantur res N. T. .
- (d) Textus *allegoricus* est , in quo datur allegoria ; sive in quo historia scripturae vere gesta ad mysterium quoddam sive spiritualem doctrinam , ex intentione spiritus S. refertur .
- (e) Textus *parabolicus* est , in quo datur parabola , sive in quo res aliqua ut gesta narratur , & ad aliud spirituale designandum refertur .
- (f) Textus *exemplaris* est , in quo exemplum proponitur ad fidem & mores dirigendos .
- (g) Textus *propheticus* est , qvi continet prophetiam , sive de futuris prænunciationem .
- (h) Textus *evangelicus* est particula historiae evangelicae in N. T. ab evangelistis exaratae , vel historias vel parabolas continens , quae diebus festis atque dominicis ordinarie explicatur .
- (i) Textus *epistolicus* , qvi & *apostolicus* dicitur est particula ex epistolis apostolicis

stolicis desumta , qvae diebus festis
atque dominicis ordinarie explicari
solet.

- (k) *Textus apocalypticus* est particula
ex apocalypsi Johannis desumta.
- (l) *Textus pure dogmaticus* est , qvi do-
gmata fidei vel morum continet.
- (m) *Textus adhortatorius* est , qui man-
data aut adhortationes continet.
- (n) *Textus promissorius* est , qvi conti-
net vel promissiones *legales* , qvae le-
gem servantibus vitam aeternam pro-
mittunt , vel promissiones *evangelicas* ,
qvae sunt de gratia Dei & remissio-
ne peccatorum , aliisque bonis spiri-
tualibus.
- (o) *Textus comminatorius* est , qvi ex-
hibet comminationes de poenis pro-
prie dictis infligendis.
- (p) *Textus primitivus* est , qvi in V. T.
tanquam sede ordinaria & prima
continetur : *derivatus* vero est ,
qvi ex V. T. derivatur , in N. T. re-
petitur vel citatur.

B 2

PARS

20 De mediis p̄ven. ad finem general. & spec.

PARS III.

De
mediis p̄veniendi ad finem ge-
neralibus & specialibus.

§. I.

Nedia generalia sunt, quae diversorum generum textus ex aeqvo respi- ciunt. Ea inter primo loco poni debet gram- matica (a) quae varia circa nomen, tum proprium, (b) tum appellati- vum, (c) pronomen, (d) verbum, (e) participium, (f) adverbium, (g) praepositionem, (h) coniun- ctionem, (i) & figuras grammati- cas, (k) suppeditabit.

N O T A E.

- (a) Qvam ex sacrī exemplis egregie formavit B. Glasius. Confer eius compendium, qvod dedit B. Heer- wartus in scrutinio philologico.
(b) *Proprium* considerari potest vel ut simplex, & hoc ponitur interdum in singu

singulari, interdum in duali vel plurali : vel ut *compositum*, qvod ponitur qvandoqve integrum, qvandoq; altera parte vel priori vel posteriori omissa, altera saltē extat. Utrumqve variis *mutationibus* obnoxium esse potest, vel in additione & omissione literarum, vel in permutatione literarum, vel in transpositione ea. rūndem. *Impositio* nominum priorum facta est vel a re praeterita, vel a praeſenti rerum statu, vel ab eventu futuro sperato. Multa interim propria per *anticipationem* in sacris dicuntur. Leguntur etiam nomina vel mutata vel superaddita vel a Deo, vel a prophetis, vel a piis, vel ab infidelibus. Saepe distinctae personae & loca uno eodemqve nomine veniunt in scripturis, & saepe uni personae duo vel plura nomina sunt imposta. *Usurpantur* nomina propria interdum pro re ipsa, interdum unius nomen alteri impositum est, vel ob typum vel ob similitudinem.

(6) Huc spectant seqventes canones praeципui : (1) *concretum* non raro ponitur pro abstracto : Dan. 9, 24. 2. Petr. 2, 14. & *abstractum* cum insig-
ni emphasi ponitur pro concreto : Hag. 2, 7. Eph. 5, 8. (2) *substantivum*

B 3

idem,

idem, eodem casu & numero saepius in scriptura sacra repetitur, ob *emphasin* Deut. 16, 20. ob *multitudinem*: Gen. 14, 10. ob *distributionem* Gen. 32. 16. ob *diversitatem* Ps. 12, 3. 87, 5. (3) *substantiva* duo si in regimine sunt posita, modo prius, Gen. 17, 5. modo posterioris Ps. 31, 3. quandoque utrumvis Ps. 145, 5. loco adiectivi est. (4) quandoque *adiectivum* deest, quod ratione substantivi commode est intelligendum: Prov. 18, 22. quandoque *adiectivo* expresso substantivum subauditur, 2. Sam. 21, 16. (5) *singularis* quandoque ponitur pro plurali, & vel collectam multitudinem, vel totam speciem exprimit. Gen. 3, 8. & *pluralis* ponitur pro singulari, ad denotandam excellentiam. Thren. 3, 22.

(e) Ubi notandum, quod (1) *artillus praepositivus* graecorum & ebraeorum interdum *emphasim* habeat, & rem vel arduam, vel necessariam, vel excellentem digitis quasi monstrat, vel non habeat *emphasim*. (2) *praedicato* interdum additur, (3) *pronomen demonstrativum* οὗτος ordinarie referendum est ad proxime praecedens subiectum, Joh. 1, 2, 7, 30. et si quandoque respiciat remotius, Joh. 6, 30. Act. 4, 11. (4) *pronominum*

num relativorum eadem est ratio,
Gen. 10, 12. Joh. 8, 44.

- (e) (1) Verba *activa*, actum comple-
tum significantia, qvandoque acci-
pienda sunt *inchoativae*, Gen. 5, 32.
Matth. 2, 7. & *contra*, Gen. 2, 2. qvan-
doque pro *continuatione* rei significa-
tae, Gen. 15, 6. (2) verba *activa*
qvandoque sunt intelligenda de *pote-*
stare: Matth. 7, 16. de *iure* & *debito*,
Gen. 20, 9. de *voluntate* & *voto*
agendi Gen. 24, 58. de *conatu* Gen.
37, 21. de *consuetudine* Gen. 6, 21. de
occasione Gen. 42, 38. de *permisiōne*
Matth. 6, 13. (3) verba *activa* non ra-
ro nudam *notificationem* notant Lev.
13, 3, 13, 17. & verba *dicendi*, *vocandi*,
ostendendi & similia pro verbis *activis*
interdum ponuntur Matth. 5, 6. (4)
verba, qvae *fieri*, *esse* vel *agere* signifi-
cant, interdum pro *rei cognitio-*
ne ponuntur Pl. 51, 6. (5) ver-
ba, qvae *esse* vel *facere* significant, ac-
cipienda sunt qvandoque φαινομει-
vws & *putative*. Reg. 1, 21. (6) verba
affirmativa interdum pro *contrariis*
negantibus, Gen. 29, 31. & *contra po-*
nuntur, Exod. 20, 7. (7) verbum
activum non effective semper, sed
qvandoque *habitualiter* significat,
Gen. 2, 17. (8) *activa* verba tribu-
untur

untur etiam illis , qvae ad actionem concurrunt 2. Sam. 3,30. (9) indicati-
vus qvandoqve pro futuro indicativi
Ps. 37,27. qvandoqve pro subiunctivo
Ps. 4,5. interdum permissive usurpatur
1. Reg. 22, 22. (10) verbum praeteri-
ti temporis interdum adhibetur pro
plusquamperfecto. Gen. 2, 2. pro prae-
senti Gen. 4, 1. pro futuro in prophe-
ticis praecipue scriptis. (11) ver-
bum praesentis temporis interdum usur-
patur pro praeterito. Ebr. 2, 8. pro fu-
turo Matth. 2, 2. 4. pro paulo postfutu-
ro Matth. 26,74. (12) verbum futu-
ri temporis interdum adhibetur pro
praeterito Exod. 15, 5. pro prae-
senti Gen. 2,10. pro imperativo, ut in prae-
ceptis negativis. (13) personae verbo-
rum ebraeorum non raro inter se
commutantur. (14) verbum qvandoqve in oratione deest , qvod con-
venienter est complendum.

(f) Circa hoc observamus , qvod (1)
participia crebro pro nominibus ponan-
tur. (2) participium praesens sine ver-
bo substantivo , pro praesenti indicati-
vi sit , Exod. 2, 14. (3) si participium
pro praeterito vel imperfecto positum ,
tum subintelligendum est verbum
substantivum praeteritum , Gen. 4,2,
23. si pro futuro ponitur , etiam sub
intelli.

intelligendum est verbum substantivum futuri temporis Gen. 6, 17. (4)
Participium praesens pro participio futuro ponitur. Exod. 11, 5.

(g) Huc spectant sqq. regulae : (1) Adverbii *loci* repetitione, intercedente vel coniunctione copulativa vel alia voce, diversitas loci significatur, Exod. 2, 12. (2) adverbia *temporis* saepe ponuntur indeterminate & indefinite, 2. Sam. 15, 20. Hos. 4, 5. Exod. 13, 14. semper pro saepe vel frequenter Luc. 18, 1. statim, cito quandoque moram temporis includunt. Continuativum *ad huc* interdum futurum, Jer. 28, 3. interdum praeteritum tempus respicit, Gen. 45, 3. non amplius quandoque; pro negativo, non ponitur, Joh. 16, 25. donec & usque saepe continuitatem significant, ac proinde in affirmativis per semper, Ps. 110, 1. in negativis per nunquam Gen. 28, 15. exponenda : non amplius, interdum pro aliquo temporis spatio sumitur 1. Sam. 7, 13. (3) adverbia numerandi ut *semel* denotat saepe plane & vere Ebr. 6, 4. *primum* pro *in primis* Rom. 1, 9. (4) Adverbia *demonstrandi*, ut : *ecce* adhibentur (a) in enarratione rei miranda & expertitiae, Es. 7, 14. (b) in exhibitione rei praesentis Joh. 1,

B 5

29. (c)

29. (c) in asseveratione certitudinis rei, Gen. 1, 29, in declaratione prompti obsequii, Ps. 40, 8. (5) adverbia *confirmandi* ut *amen*, *certe* &c. usurpan-
tur *vel* in confirmando verbo divino
& promisso, 2. Cor. 1, 19. *vel* in con-
firmando hominis assensu verbis Dei
habito, sive in benedictionibus 1. Par.
16, 36. sive in maledictionibus Num.
5, 22. (6) adverbia *negandi* interdum
pro particula comparativa ponuntur
Exod. 16, 8. & contra Ps. 118, 8. (7)
adverbia *dubitandi* non semper in-
certitudinem directe important, sed
interdum sunt optantis & bene spe-
rantis, Exod. 32, 30. *vel* asseverantis
Act. 8, 22. (8) adverbia *excludendi* ut
praeterquam nisi &c. non raro pro ad-
versativa, sed ponenda Matth. 12, 4.
Gal. 2, 16. (9) adverbia *comparandi*
non semper perfectam similitudinem
& aequalitatem, sed *vel* perfectio-
nis necessitatem vel conatum imi-
tandi indicant, Matth. 5, 48. Joh.
17, 21.

(b) Praepositiones uti nunc unum, nunc
plures casus regunt, sic etiam saepe
permutantur. Habent vero & illae
praeter communem significationem,
etiam alios significandi modos. Ex.
gr. prapositio *ex* non tantum deno-
tat

tat motum ex loco , vel materialem causam , sed etiam usurpatur pro *a de causa efficiente Matth. 1, 20.* pro *post de tempore completo Joh. 13, 4.* sic etiam *Ἰό υπερ* pro non semper causam & meritum significat , sed etiam *causam impulsam Phil. 2, 13.* vicem *alterius 2. Cor. 5, 20.* usum & quidem vel excellenter talem *Joh. 6, 51.* vel vulgariter talem *Luc. 9, 50.* similiter *Ἰό εἰτι* pro accipitur loco , vice *Matth. 5, 38.* denotat utilitatem *Matth. 20, 28.* finalem causam *1. Cor. 11, 15.*

- (i) Inter coniunctiones est (1) copulativa , qvae interdum innuit praecellentem partem & valet , potissimum , *Joh. 2, 1.* & interdum pro disiunctiva ponitur . *Matth. 13, 37.* quandoque adversative *Matth. 12, 39. 13, 22.* item pro ac tamen *Exod. 5, 16. Job. 3, 26.* causaliter *Exod. 15, 2.* pro modo & ordine , qvores sunt *Deut. 12, 10.* relative pro qui , quae , quod , *1. Sam. 20, 2.* (2) Conditionalis praeter conditio nem , qvam infert , interdum vim habet interrogandi *Marc. 15, 44. negandi 1. Reg. 1, 51. causandi Act. 4, 9.* (3) disiunctiva vim habet non tantum separandi *2. Cor. 5, 10.* sed etiam disiungendi *Lev. 4, 23. imo coniungendi Mat. 5, 17.* (4) pro adversativa sed , aliae parti:

particulae usurpantur, ut *copulativa*
Matth. 11. 19. *causalis* Deut. 11, 7. (5)
Causalit non semper notat causam
rei, sed saepe rationem conclusio-
nis Joh. 8, 44. aut eventum. (6)
Conclusiva in se non causam rei expri-
mit, sed conseqvens in ratiocinatio-
ne infert, sive ex causa, sive ex alio
loco desumptum argumentum prae-
cesserit 2. Cor. 4, 13. &c.

(k) Qvas inter est 1. *ellipsis*, defectum
indicans vel *nominis* Gen. 3, 1. Sam.
20, 16. vel *verbi* Gen. 25, 28. in specie
ellipsis verborum *cavere* & *dicere* fre-
quens est: vel *verborum* quorundam
Joh. 2, 18. vel *integri* membrai Luc. 9, 13.
Eruitur autem vox deficiens, vel *ex*
voce coniugata Gen. 4, 5. vel *ex voce*
contraria Gen. 33, 10. vel *ex voce analo-*
ga seu *correlata* Ps. 142, 5. vel *ex mem-*
bro praecedenti repeti debet nomen
Gen. 14, 20. 19. verbum Prov. 10, 23.
particula *praecipue* negativa Deut.
33, 6. voces coniunctae Jos. 24, 19.
14. lqq. interdum etiam *ex membro se-*
quente 1. Reg. 3, 12. imo interdum *ex*
praecedente & *consequenti membro* Rom.
10, 10. Ps. 1, 6.

II. *Pleonasmus* indicat abundantes vo-
ces, qvae *vel* rem plenius expo-
nunt, *vel* *emphasis* addunt, *vel* affe-
ctum

Etum dicentis arguunt, vel distributionem notant, vel ex usu linguae ita ponuntur. Fit autem repetitio eiusdem vel *quoad verba eiusdem vocis*, Ezech. 37, 11, aut plurium vocum Ezech. 46, 21, vel *quoad sensum per synonyma affirmantia* Exod. 12, 2, ne. gantia Gen. 42, 2, & *exegetica* Ps. 7, 15.

III. *Enallage*, concordiam partium orationis non observans, est vel *personarum* Deut. 32, 15, qvo etiam spectat mutatio personarum in vaticiniis propheticis & eorum allegatione Mal. 3, 1. Matth. 11, 10, vel *numeris* Exod. 10, 2, vel *casum* Luc. 1, 55, vel *temporum* Ps. 1, 1, vel *modus* 1. Cor. 10, 6.

IV. *Hypallage* voces transponit Jud. 1, 8. Jer. 52, 5.

V. *Synchysis* seu verborum trajectio datur vel in *simplicibus vocibus* 1. Cor. 9, 10, vel in *vocibus coniunctis* Exod. 12, 15, vel in *tota propositione* Ps. 5, 10, vel in *continuo sermone* Joh. 2, 15, 16.

VI. *Prelepsis* sive *anticipatio* fit, quando scriptura quaedam, antequam facta fuerunt, narrat brevibus, & postea suo ordine latius & exactius describit. Gen. 1, 27. sqq. cum 2, 7. Gen. 35, 29. cum 37, 35.

VII. *Hy-*

VII. *Hysterologia sive recapitulatio aut postpositio* fit, quando scriptura posteriori loco quaedam narrat, quae tamen iam ante acciderant Gen. 11, 1. sqq. cum 10, 5, 20, 31. Huc etiam ille casus referri solet, quando in historiae concisa repetitione quaedam adduntur, quae in ipso textu, ubi ex professo historia exstat, non leguntur. Gen. 31, 7, 8. Ps. 105, 18. Hebr. 9, 19. cum Exod. 24, 8.

§. II.

Secundo loco est *Rhetorica* (a) quae varia circa tropos (b) & figuratas (c) notata dabit.

N O T A E.

(a) Quam ex sacris exemplis egregie formavit B. Glassius, in compendium vero reduxit B. Herwartus loco citato.

(b) Hi sunt, qui propriam vocum significationem in aliam convertunt, & vulgo numerantur quatuor: Metonymia, Metaphora, Synechdoche & Ironia. Affectiones troporum tres sunt: catachresis, hyperbole, & allegoria, cuius species paraemia & aenigma. Metonymia fit [1] quando

quando persona efficiens pro re effe-
cta ponitur, Ps. 51, 12, 14. Luc. 16, 29.
[2] Instrumentum pro re per instru-
mentum facta Deut. 17, 6. Matth. 18,
16. Exod. 21, 21. [3] res vel actio pro
effectu ab illa producio : idque vel
in nominibus affectuum 1. Joh. 3, 1.
Gen. 20, 13. Mich. 7, 9. vel in verbis
cognitionis Ps. 90, 11. Es. 1, 3. Exod.
1, 8. & affectum Luc. 11, 43. & ope-
rationum Gen. 12, 5. c. 30, 30. Matth.
25, 16. [4] causa materialis pro ma-
teriato Gen. 3, 19. Ps. 103, 14. [5] actio
vel effectus pro persona efficiente
Rom. 15, 5. [6] res per instrumen-
tum effecta pro instrumento 1. Joh.
5, 4. Eph. 6, 16. [7] continens pro
contento, locus pro locato , Joh. 3,
16. Gen. 7, 1. [8] possessor pro re
possessa Gen. 15, 3. [9] obiectum pro
eo, quod circa illud versatur, 2. Cor. 11,
4. Exod. 29, 14. [10] signatum pro
signo Deut. 16, 3. [11] accidens pro
subiecto suo Gen. 31, 2. [12] tempus
pro rebus in tempore factis. Exod.
12, 21. Es. 16, 9. [13] opinio hominum
pro ipsa re 1. Sam. 28, 14. 2. Cor. 4, 4.
[14] occupatum pro obiecto Hagg.
2, 8. [15] Signum pro signato. Gen.
49, 10. [16] nomen pro ipsa persona
velre, Deut. 28, 58. Act. 4, 22.

Meta-

generalibus & specialibus.

Metaphora est [I] quando qvid ab homine ad Deum transfertur, qvod genus $\lambda\nu\theta\rho\alpha\pi\alpha\tau\alpha\gamma\eta\epsilon\alpha$ vocari solet. Et sic Deo (a) partes & membra humana tribuantur: e. g. anima Lev. 26, 11. facies Exod. 33, 20. oculi Ps. 11, 4. aures Ps. 10, 17. os Jos. 9, 14. brachium Exod. 15, 16. manus Num. 11, 23. cor Gen. 6, 6. pes Es. 66, 1. (b) Affectus e. g. tristitia & dolor animi, Es. 63, 10. Gcn. 6, 6. poenitentia 1. Sam. 15, 11. Exod. 32, 12. ira, ultio, odium, Nahum 1, 2. gaudium, Deut. 28, 63. zelus Es. 9, 7. Exod. 20, 5. (c) Actiones e. g. cognitio experimentalis, Gen. 18, 21. ignorantia Es. 40, 27. recordatio Gen. 8, 1. oblivio 1. Sam. 1, 11. Ps. 9, 19. risus, Ps. 2, 4. Prov. 1, 26. labor, Job. 10, 8. quies Gen. 2, 2. 3. (d) Adiuncta eaque vel privativa, e. g. impotentia efficiendi aliquid. Gen. 19, 22. vel positiva e. g. cum Deus dicitur: agricola Joh. 15, 1. Bellator, Exod. 15, 3. medicus Exod. 15, 26. pastor. Ps. 23, 1. &c. [II] Quando qvid a creaturis aliis ad Deum transfertur. Sic Christus dicitur agnus, Joh. 1, 29. leo. Apoc. 5, 5. vermis, Ps. 22, 7. german, Es. 4, 2. vitis, Joh. 15, 1. s. lux 1. Joh. 1, 5. sol, Malach. 3, 20. ignis,

ignis, Deut. 4, 24. aqua viva, Joh. 4, 10. 14. lapis, Ps. 118, 22. petra Deut. 32, 31. turris, Ps. 61, 4. (III) Cum personae proponuntur, quae non sunt, quod genus ~~τερπονούσια~~ vocant: Et hoc sit, quando (α) de membris humani corporis dicitur, quod hominis est, Job. 29, 11. Ps. 35, 10. (β) de animalibus brutis, quae hominum sunt. Job. 12, 7. 8. (γ) de terra nascentibus usurpantur, quae hominis proprie sunt, Lev. 19, 23. (δ) de accidentibus quibusdam scriptura loquitur, ut de hominibus, Gen. 4, 7. Gen. 18, 20. Rom. 6, 6. (IV) Metaphorae a Deo, angelis, coelo ac elementis deducuntur. (α) a Deo: sic vox Elohim proprie sumta soli Deo conveniens tribuitur angelis. Ps. 8, 6. hominibus dignitate praestantibus, Deique vicarisi, Gen. 6, 2. idolis Exod. 23, 24. Graecum nomen θεός tribuitur satanae, 2. Cor. 4, 4 ventri, Phil. 3, 19. idolis, Act. 7, 43. (β) ab angelis, & quidem bonis Gen. 3, 24. ubi Cherubim vocantur angeli. malis: Matth. 16, 23. ubi Petrus dicitur Satan. (γ) a coelo: nam hoc sumitur pro divina gloria & majestate. Ps. 2, 4. Joh. 3, 13. pro spirituali Dei regno, tum gratiae Es. 51, 16. tum gloriae.

C

Matth.

Matth. 18, 10. (I) ab elementis e. g.
igne, qvi ad angelos transfertur , Ps.
104,4.ad qvaevis adversa. Ps.66,12.aer
vanitatem notat, Job. 6, 26. aqua, in
malam partem sumta designat ho-
stem numerosum , Es. 8, 7, 8. calami-
tates magnas , 2, Sam. 22, 17. Ps. 69.
2, 3, 15, 16. in bonam partem accepta
notat posteritatem , qvae ex stirpe
ut fonte profluit. Num. 24, 7. terra
notat carnalem sapientiam Phil. 3,19.
Rom.8,5.(V) A mineralibus plantis &
animalib. metaphorae desumuntur, e.
g. accipitur aurum propura evangelii
doctrina , Apoc. 3, 18. argentum pro
puritate verbi Pl. 12, 7. aes & ferrum
pro re dura & solida , Deut. 28, 23.
Es. 48, 4. Jer. 1, 18. lapis cordis duri-
tiem notat. Ezech. 11, 19. semen ver-
bum Dei significat , 1. Petr. 1, 23. ar-
bor hominem Jer. 11, 19. Matth. 3,10.
arundo inconstantiam , Matth. 11, 7.
leo eminentiam , Gen. 49, 9. vel fe-
rociam. 1. Petr. 5, 8. vulpes astutiam,
Luc. 13, 32. ovis pios, Ps. 100, 3. Joh.
10, 15.(VI).Metaphorae ab homine, &
qvae illum attinent, desumuntur: sic
corpus de populo Dei, sive Eccles. dici-
tur, Ro.12, 5. facies de rei superficie, G.
1,2. Ro. 12. 5. caput de rei initio, Gen. 1,
2. manus sumitur pro robore, Ex. 18, 9.
videre

videre pro experiri, Ex. 20, 18. Ps. 17, 15.
gustare pro intelligere, Ps. 34, 9. (VII)
A personis & rebus sacris metapho-
rae derivantur, ita David pro Messia
ponitur, Es. 55, 3. Joannes Baptista di-
citur Elias, Mal. 4, 5. Conf. Matth.
11, 14. terra Canaan designat Christi
ecclesiam El. 35, 1. propitiatorium vo-
catur Christus, Rom. 13, 25. item
mannaExod. 16, 35. Joh. 6, 31. summus
sacerdos, Hebr. 2, 17.

Synechdoche est, qvando totum
pro parte & contra ponitur, Estqve
totum vel genus vel integrum, pars
vel species vel membrum. Fit ita-
que (I) lynechdoche generis, cum
genus pro specie vel universale pro
particulari accipitur. Sic (α) *omnis*
de maiori parte dicitur, Exod. 9, 6.
Exod. 10, 5. Matth. 3, 5. Joh. 10, 8.nul-
lus particularem negationem invol-
vit, Exod. 20, 10. Jer. 8, 6. Math. 5.
34. creatura notat hominem Marc.
16, 15. (β) nomen commune ponitur
pro proprio $\kappa\alpha\tau' \epsilon\xi\chi\eta\gamma$, Hos. 12, 13.
Gen. 31, 21. pluralis numerus pro sin-
gulari, Gen. 21, 7. 1. Paral. 1, 41.
(II) Synechdoche speciei, cum
species pro genere ponitur. Sic
(α) vox *mulus* sumitur pro omni-
bus, Dan. 12, 2. (β) nomina angu-
lora

stiora pro latioribus, specialiora pro universalioribus usurpantur, ut patres pro majoribus Ps. 22, 5. fratres pro cognatis Jud. 9, 1. filii pro posteris, Ex. 1, 7. (γ) nomen proprium quandoque pro communi ponitur, Es. 63, 16. 1. Cor. 3, 6. species rei pro genere, e. g. aurum pro quolibet munere Ps. 72, 15. mel pro quavis redulci, Ex 3, 8. (β) numerus certus pro incerto 1. Cor. 14, 19. Dan. 7, 10. (III) Synechdoche integri, cum integrum pro membro vel totum pro parte ponitur, Num. 16, 3. Matth. 27, 45. (α) persona integra pro parte: homo pro anima Luc. 16, 23. pro corpore Gen. 3, 19. (β) locus pro parte loci: e. g. mundus pro terra. 2. Petr. 3, 6. terrae orbis pro magna ejus parte Luc. 2, 1. Rom. 4, 13. (IV) synechoche partis seu membrorum, (α) cum membrum pro integro, seu pars pro toto ponitur: ut anima pro toto homine, Gen. 12, 5. corpus pro homine toto, Ex. 21, 3. caro pro omni animali, Gen. 6, 13. cor pro homine, Gen. 31, 26. (β) pars rei pro integra re, ut baptismus Joannis pro toto eius ministerio, Act. 1, 22. porta pro urbe, Gen. 22, 17. (γ) pars temporis pro tempore ponitur, ut hora pro tempore,

De mediis pervenienti ad finem 37
pore , Joh. 5, 24. dies pro anno ,
Gen. 40, 4.

Ironia est tropus , qvo contrarium
intelligitur per id , qvod dicitur. Hoc
fit (a) si vox una eademque contra-
riam significationem obtinet. e. g.
תָּהַנְּךָ significat benedicere , Gen. 12,
3. & maledicere 1. Reg. 21, 10. (β)
si vox eam significationem obtinet,
cuius contraria significatio est in ra-
dice. Sic **וְתִירֹא** notat : sanctus fuit , at
וְתִירֹא cinaedus. (γ) cum dicitur
vel iubetur id , cuius contrarium est
intelligendum , ut sensus literalis pa-
tescat , Gen. 3, 22. (δ) si quid simu-
late & **περιπατησώς** proferatur , Gen.
19, 2. (ε) si qvaedam dissimulanter
& hypocriticite proferantur , qvae vera
qvidem in se sunt , at menti loquen-
tis non conformia G. 37. 19. (ζ) si qvae
dam manifeste falsa et & fallendi ani-
mo (scriptura historice recensente)
proferantur , qvae dicentes longe ali-
ter sciunt aut sentiunt. e. g. G. 3. 4 s.

Catachresis est tropi durities , qvae
contingit , (α) in una voce , e. g. co-
quere pro assare de agno paschali di-
citur Deut. 16, 7. (β) in vocum ,
qvae sibi invicem respondere non vi-
dentur , combinatione Ex. 20, 18. (γ)
in vocum permutatione , qvando

C 3

vox



vox in lingua N. T. hellenistica ad significandum diversum qvid adhibetur , qvia scilicet utrumque hebraea vox una eademque significare potest, e. g. ἀσπερόν gratis pro μάτην frustra ex hebreo בְּשָׁרֶן, qvod utrumque notat.

Hyperbole est, qvando voces rerum amplificandarum vel extenuandarum gratia a nativa significatione in aliam traducuntur. Ac proinde duplex est eius species : auxesis & meiosis. Auxesis autem iterum est vel rhetorica vel logica. Ad hyperbolam rhetorica pertinent (1) voces singulae, e.g. bellum pro qva vis rixa Jac. 4, 1. (2) phrases coniunctae , Ex. 8, 17. Gal. 4, 15. Ad hyperbolam logicam spectant (1) hyperbolicae comparationes, Gen. 13, 16 2. Sam. 1, 23. (2) hypotheticae , Ps. 139, 8-10. (3) qvaedam aliae locutiones. I. Reg. 20, 10. Matth. 5, 26. *Miracula* exempla sunt , Gen. 18, 27. Num. 13, 34.

Allegoria est tropi continuatio , qva aliud dicitur, qvam intelligitur. Estqve vel simplex vel allusiva. Illa a rebus naturalibus desumpta est, qvalibus Cantic. Canticorum abundat. Add. Gen. 49. 11, 12. Eph. 6, 4. Hacc ad certam

certam rem alludens , 2. Cor. 3, 13.
Gal. 4, 28-31, Apoc. 7, 15. occurrit.

Paraemia sive proverbium dicitur ,
qvod ipsum primum verbum pro alio
verbo i. e. alio sensu ponitur. Oc-
currunt autem in scriptura vel inte-
grae sententiae : Gen. 10, 9. 1. Sam.
10, 12. Luc. 4, 23; Matth. 7, 2. vel phra-
ses proverbiales. 1. Sam. 25, 22-34.
Matth. 23, 24. Act. 9, 5.

Aenigma est singularis in continua-
to tropo obscuritas, Jud. 14, 14. Dan.
5, 25.

(e) Figurae , qvae ornatum orationi
conciliant, sunt (1) dictionis. Qvo
spectant Epizexis , sive subiunctio,
eiusdem , vel duarum pluriumve vo-
cum repetitio , Exod. 34, 6. Deut. 28,
43. Ps. 22, 2. Ps. 137, 7. El. 6, 3. Anadi-
plosis , reduplicatio , qva eadem vox
repetitur in fine praecedentis & prin-
cipio seqventis sententiae. Ps. 121,
1, 2. 122, 23. Rom. 8, 18. Ps. 113, 8. Cli-
max , gradatio , Ol. 2, 21. Joh. 1, 3, 5.
Anaphora , relatio , qva dictio eadem
(vel plures) iteratur in principiis
clausularum Deut. 28, 4. 5. Ps. 3, 2. 3.
29, 3. 1. Cor. 13, 4. 7. Epistrophe con-
versio , qva eadem vox in fine sen-
tentiarum repetitur , Rom. 8, 31. 2.
Cor. 11, 22. Symploce complicatio , qva
eadem

eadem vox vel phrasis in initio simul
& fine clausularum repetitur. Ps. 136,
1. 2. 3. Jer. 9, 22. 23. *Epanalepsis resum-*
atio, qva eadem vox in principio &
fine sententiae repetitur, Ps. 53, 3.
Eccl. 1, 2. 7, 1. Rom. 8, 24. Phil. 4, 4.
Epanodos regressio, qva eadem dictio
in principio & medio & fine repeti-
tur, Es. 5, 20. Ezech. 7, 6. Gal. 2, 16.
Polyptoton, casuum varietas, qvo vo-
ces ejusdem thematis alia atque alia
terminatione repetuntur, Ps. 63, 16.
17. Es. 24, 16. Os. 10, 1. *Paronomasia*,
agnominatio, cum dictiones diversae,
vel litteris vel syllabis iucunda quadam
allusione inter se convenient, Gen.
18, 27. Ex. 25, 27. Ex. 5, 7. Matth. 16, 18.
Antanaclasis refractio, cum eadem
vox in vicinia repetitur diversa signi-
ficatione, Jud. 15, 16. Ps. 141, 5. Joh. 4,
31. 32. (2) *Sententiae*. Qvo per-
tinent *Exclamatio* Rom. 11, 33. Matth.
15, 28. Es. 1, 4. *Epanorhesis*, s. corre-
ctio, qva id, qvod dictum est, e
vestigio corrigitur, & eius loco com-
modius ponitur, Marc. 9, 24. Joh. 12,
27. *Aposiopesis* sive reticentia, qva
orationis cursus ita abrumpitur, ut
pars eius aliquia reticeatur, 2. Sam.
5, 8. Gen. 3, 22. *Apostrophe*, qva ora-
tio ad aliam personam vel rem, qvam
institu-

De mediis pervenienti ad finem 41

instituta oratio reqvirit, convertitur.
Neh. 4, 4. 2. Sam. 1, 24. Joel. 2, 22.
Deut. 32, 1. *Prosopopojia*, qvam oratione
vel alia persona loquens introdu-
citur, Ps. 2, 7. Iq. Ps. 3, 3. *Interrogatio*
Ps. 94, 16. Gen. 18, 14. *Addubitatio*,
cum ipsi nobiscum de rebus aut di-
cendis aut faciendis deliberamus &
disqvirimus, Ps. 139, 7. *Thren.* 2, 13.
Communicatio est deliberatio cum iis
ipsis, apud aut contra qvos dicimus
iudiciique iis facta oblatio. Es. 5, 3.
Luc. 11, 19. *Ocenatio* cum id, qvod
obiici poterat, anticipatur & dilui-
tur, Es. 49, 14. 15. *Permisso*, cum rei
alicuius potestas, vel laus concedi-
tur, Rom. 2, 17. 18. Jud. 10, 14. *Con-
cessio*, cum dictum aliquod conce-
ditur & inutile tamen id esse additur.
Jac. 2, 19. 1. Cor. 4, 18. *Aetiologya*, cau-
sae redditio, cum dicti vel facti ratio
& causa indicatur, Rom. 1, 13. sq.
Metastasis, translatio, cum causa vel
culpa ab alio in aliud transfertur.
Rom. 7, 8. *Topographia*, descriptio lo-
ci accuratior & vividior Es. 30, 33.
Luc. 16, 24. Apoc. 21, 1. *Hypopyrosis*,
repraesentatio, cum res ita oculis subii-
citur, ut non narrari sed geri videat.
Es. 1, 6. it. c. 34. tot. Es. 44, 9. seq. Thr.
4, 8. 9. *Parhopoia*, affectus expressio

C 5

Es.



El. 49, 13. Jer. 9, 1. 2. *Parecbasis*, di-
gressio, cum praeter propositum ali-
quid additur, & ab instituta narra-
tione exceditur. Gen. 2, 8-15. Rom. 1,
1-8. *Metabasis* transitio, cum brevi-
ter, monetur, quid dictum sit, &
quid porro dicendum. 1. Cor. 12, 31.
Antithesis, contentio, cum opposito
contrario res illustratur, Ps. 1, 3. seq. El.
1, 21. 'Αντιμεταβολή' commutatio,
sive lepida quaedam contrariorum
inter se permutatio, Marc. 2, 27. Joh.
15, 16. 'Αντικατηγορία', accusatio ad-
versa; cum adversario impingitur,
quod ab eo accusando afferebatur.
Ezech. 33, 17. 'Αντιστροφή', inversio,
cum positum quidpiam retorqe-
mus in contrarium, Matth. 15, 26. 27.
'Οξύμωρος', quo contraria acute &
sapienter coniunguntur. Job. 22, 6.
Jer. 22, 19. 'Αποδιώξις', reiectione
detestatio, cum aliquid cum indigna-
tione repellitur, Ps. 50, 16. Matth. 16, 23.
'Αθυποφορά', contraria illatio, cum
objection refutatur per contrariae
sententiae oppositionem. Matth. 21, 23.
Σύγκρισις, comparatio, sermonis sa-
crosancti amplificatio, collatione simi-
lium aut dissimiliū, maiorū aut meno-
rum. facta. Mat. 18, 23. it. 22, 2. *Mērismός*,
distri-

distributio, cum totum aliquod deducendo per partes latius exponitur, Es. 24, 1-3. Rom. 2, 6-8. Συναθροισμὸς, congeries, cum plures species coacervantur. Es. 1, 11. Rom. 1, 29. 30. Αὐαβασίς, incrementum, cum oratio ab infimis ad summa ascendit. Es. 1, 4. Ἐπεξήγησις interpretatio, cum verba idem significantia ad illustrandam sententiam coniunguntur, Ps. 17, 1. Ps. 35, 1-3. οὐφασίς, circumlocutio, cum pluribus verbis aliquid enunciatur, Gen. 20, 16. 1. Sam. 24, 4. Gnomē sententia, dictum aliquod breve & opportunum. Conf. lib. Prov.

§. III.

Tertio est *logica*, (a) quae varia tum circa propositionis partes (b) tum circa propositionum species, (c) harumque affectiones (d) observanda dabit.

N O T A E.

(a) Qvam etiam delineavit ex parte B, Glassius, cui iungi potest Zeisoldus in *logica sacra* N. T.

(b) Sub-



(b) Subiectum scil. praedicatum & copulam. Circa quas partes seqq. regulae sunt notandae : (1) *nota subiecti* est signum quantitatis , in primis universale affirmans , enunciationis affirmantis , in casu recto positum & distributive sumtum , Rom. 2, 1. (2) *Subiectum* non ex situ iudicandum est , cum non semper in initio orationis ponatur , sed non nunquam in medio . Matth. 6, 24. Luc. 11, 30. Joh. 8, 58. non raro in fine . Matth. 5, 3. seqq. (3) *quae voces subiecti* , quae praedicari pars sint , studiose dispiciendum est . Matth. 19, 28. Rom. 3, 21. (4) *talia sunt subiecta* , qualia permittuntur a suis praedicatis , Joh. 1, 14. Es. c. 52. & 53, 1. Joh. 15, 1. 5. (5) *in copulam* non cadit tropus . (7) copula saepe non tantum est copula , sed & *emphasis* continet , Marc. 4, 26. Luc. 12, 15.

(c) In *affirmativis & negativis* (1) *Negatives propositiones* saepe negant non simpliciter , sed secundum quid , hinc explicandae per non tam quam . Exod. 16, 8. 1. Sam. 8, 7. vel per non solum Joh. 12, 44. nonnunquam secundum eorum hypothesis vel *cognitionem* , ad quos dirigitur sermo . Joh. 1, 21. 16, 26. (2) *duae negationes apud*

apud Graecos fortius negant si illae
unum verbum respiciunt, Luc. 21,
33. affirmant vero, si singu-
lae respiciant distincta verba, Act. 4,
20.(3) Particula negativa interdum ne-
interrogative exponi debet, Mat. 11, 17.
12, 24. Exod. 8, 26. 22. (4) interroga-
tiones affirmativae negant, 2. Sam. 7, 5.
Pſ. 113, 5, & negativae affirmant.
Exod. 4, 14. (5) In qvibusdam
negationibus, ubi quid de una nega-
tur, non mox diversum quid affir-
matur, sed omnia negantur. 1. Thess.
4, 7. 5, 9. 6. Praecepta negativa & de
negativis & de affirmativis intelli-
genda sunt, Exod. 20, 3, 31, sq.

In universalı: (1) vox omnis (sic
& vox nullus) nota qvidem est uni-
versalitatis, interdum tamen sumi-
tur restrictive ad subiectam materiam,
vel cum exceptione. Hebr. 2, 17. cum
4, 15. Luc. 16, 18. cum Matth. 5, 32.
& 19, 9. dein integraliter Matth. 3, 5.
porro pro multis vel maxima parte
Exod. 9, 6. tandem pro generibus sin-
gulorum. Gen. 7, 19. Matth. 4, 23. (2)
Non omnis in scriptura idem valet ac
nullus, & sic universalitatem deno-
tat, Pſ. 143, 2. item Num.
11, 6. Eccles. 1, 9. paucis locis exceptis.
Idem etiam est observandum de voce
omnis

omnis non, Lev. 3, 17. 2. Petr. 1, 20.

(3) Vox multi in scriptura ad particularitatem & universalitatem indiferenter se habet, & nunc hanc nunc illam pro substrata materia infert. (4) voces cum ampliatione accipiendae sunt, ubiunque possunt. Prov. 15, 16. (5) Hinc qvae indefinite sunt dicta amplianda sunt, quasi universaliter essent dicta, nisi aliquid obstat. Matth. 4, 4. 15, 11. (6) multo magis, qvae universaliter dicuntur, universaliter intelligenda sunt, 1. Tim. 2, 4. (7) interdum tamen universaliter dicta sunt restringenda, Mat. 28, 19.

In exponilibus [1] Exclusiva non excludit coniuncta, id est concomitantia & subordinata, sed opposita, Joh. 17, 3. [2] Vox solus interdum exclusionem denotat, Matth. 4, 10. interdum excellentiam, 1. Tim. 1, 17. [3] in exceptivis reqviritur, ut id quod excipitur, contineatur sub eo, a quo excipitur. Act. 15, 20. cum 28, [4] Particula nisi non semper exceptive sumitur, sed quandoque conditionaliter pro si non Matth. 5, 20. 18, 31. interdum adversative & simul exclusive Matth. 12, 4. Luc. 4, 27. [5] Reduplicativa & specificativa non semper habent particulam limitan-

De mediis pervenienti ad finem 47

limitantem expresse adiectam Joh. 8,
44. 9, 31. 1. Joh. 3, 19. [6] In comparati-
vis non semper conferuntur simili-
lia, ut Prov. 25, 3. sqq. sed etiam qvando
que componuntur dissimilia, Prov.
25, 2. [7] in exhibitiis per particu-
lam hoc duae semper res demonstran-
tur, sed ita, ut una in casu recto
concipiatur & ex praedicato iudice-
tur, altera in casu obliquo connotetur.

In propositionibus compositis :
[1] *conditionalis* impossibilem habens
conditionem, aequipolleat simpliciter
neganti, Gen. 13, 16. [2] pro *conditionali* interdum ponitur categorica,
Gen. 20, 3. Jon. 3, 4. non tamen fin-
genda est *conditionalis*, sed proban-
da: [3] in formulis iurandi conditio
affirmativa negat. 1. Reg. 1, 51. Marc.
8, 12. & conditio negativa affirmat,
Gen. 24. 37. sq. [4] Qvae de disiun-
ctivis & causalibus sunt notanda, il-
la repeti debent ex huius partis §. 2,
not. (i)

(d) In *oppositione* praecipue *contradi-
ctoria*, qvae in scriptura sacra non
vere, sed apparenter duntaxat datur.
Ad hanc vero tollendam observan-
di sunt.

I. *Canones generales* : (1) si qvae
videtur locis qvibusdam inter se col-
latas

latis intercedere contrarietas, doceatur, oppositionem non esse eiusdem rei, sed nominis tantum, vel non secundum idem, vel non eodem modo, vel non eodem tempore. (2) Optima conciliandi ratio est, si tertius aliquis scripturae locus, pugnantes locos concordet, aut nostram conciliationem comprobet. Rom. 7, 14. & 1. Joh. 3, 9. per Rom. 7, 22. sq. item Gen. 17, 14. & Act. 15, 24. per Matth. 11, 13. (3) Huc etiam facit, ut tum sermonem, tum & res dictorum pugnantium diligenter cognoscamus & examinemus. In hunc canonem impegerunt saducaeii, Mat. 22, 29.

II. *Speciales canones*, praesertim de circumstantiis (1) personae: (a) personae in scriptura saepe sunt binomines. (b) distinctae personae saepe sunt uninomines. (c) filiatio alia est naturalis, alia legalis. (d) de renatis pronunciantur diversa, secundum veterem & novum hominem, Rom. 7, 14. 1. Joh. 3, 9. (e) de Christo quae-dam dicuntur secundum D.N. quae-dam secundum H. N. quae-dam secundum utramque: aliter ad superbos & praefactos phariseos: aliter ad cupidos veritatis & contritos peccatores loqui-

loquitur Christus. (2) *occasionsis, consilii, finis*: intelligentia enim dictorum sumenda est ex causis dicendi. Matth. 19, 21. item Act. 16, 3. Gal. 2, 3. sq. (3) *temporis*: (a) distingue tempora, & concordabit scriptura. (b) qvaedam dicta agunt de tempore exinanitionis, qvaedam de tempore exaltationis Christi. (c) *tempus sumitur vel complete vel incomplete*: (d) *temporis partes sumuntur vel inclusivae vel exclusive* Mat. 17, 1 Luc. 9, 28. (e) tanquam praeterita narrantur, qvae futura prophetabantur. (f) *numerus finitus ponitur aliquando pro infinito*. (g) interdum *non computatur*, qvod de summa perfectione numeri paululum excrescit aut *infra est.* Jud. 11, 26. (h) *numero maiori & pleniori annumeratur minor* Jud. 3, 11. 30, (2) in supputationibus *interregnorum* aliquando *vacationis anni computantur ad annos eorum*, qvi sequuntur, 1. Reg. 16, 23. 29. (k) propter *impietatem principis* vel nomen eius, vel *numerus annorum*, qvibus male administravit, omittuntur, 1. Sam. 13, 1. & 2. Reg. 8, 17. cum 2. Par. 22, 1. (l) in supputationibus *annorum patris & filii* simul *administrantium*, non nunquam de *communi administratione*, nonnunquam

D

qvam

quam de propria textus loquitur.
 2. Reg. 15. 30. & 33. (m) *Hora-*
rum apud orientales diversa fuit di-
stributio & distinctio, in maiores scil.
& minores. Marc. 15, 25. Joh. 19, 14.
 (4) loci: (a) Urbibus in scriptura sae-
 pe duo tribuuntur nomina. (b) Distin-
 ctis locis saepe unum tribuitur no-
 men. (c) Scriptores sacri saepe locum
 denominant ea appellatione, quae fuit
 usitata eo, quo ipsi vixerunt, tem-
 pore. (d) Nomina plagarum, ori-
 entis &c. intelligenda sunt de regio-
 nibus, aut urbibus, habita compa-
 ratione urbis Jerusalem, aut totius
 Palaestinae. (5) modi: (a) qvae-
 dam dicuntur simpliciter qvae-
 dam secundum quid, qvaedam
 compare. (b) Dicta specialia de-
 rogant generalibus. (c) Moralia
 praeferuntur ceremonialibus. (d)
 Secunda tabula legis cedit primae.
 (e) qvaedam loquuntur de rei natu-
 ra per se, qvaedam vero intelligun-
 tur dicta per accidens. Luc. 12, 51.
 cum Joh. 14, 27.

In ipso sermone ambiguitas est evol-
 venda, & statim cessabit species
 contradictionis. Marc. 12, 41. & 43.

§. IV.

§. IV.

Quarto loco est *theologia*, qvae
(a) varia ex articulis de Deo , (b)
Christo (c) aliisque (d) notanda
suppeditabit.

N O T A E.

- (a) Haec generalia ista etiam urget,
orationem , *meditationem* & *tentatio-*
rem : Per illam enim lumen obtine-
re debemus , per qvod lumen scri-
pturae videre possumus : per *istam* &
firmi & sapientiores reddimur : *hac*
vero ut theologum , sic etiam theo-
logum interpretem facit.
- (b) Huc spectant sqq. (1) qvae de Deo
dicuntur ἀρθρωπονταθῶς , intelligen-
tas sunt θεοπεπτῶς . (2) in Deo non
datur ἄλογο ἄλο , sed ἄλογο
ἄλος . (3) opera divinitatis *ad extra*
sunt indivisa , sive omnibus personis
conimunia. (4) qvod omnibus per-
sonis divinis competit , saepe uni-
rantum per *appropriationem* tribuitur :
(5) opera divinitatis *ad intra* sunt di-
visa , sive cuique personae propria.
(6) qvando Deo id tribuitur , qvod
in genere morum malum est , per-
mitente Deo aut gratiam suam sub-
trahen-

D 2

trahen-

trahente , fieri intelligitur. 1. Reg. 22, 23. (7) qvaecunqve vox, de Deo vel Christi glorificato corpore usurpata, significatione sua in conceptu materiali imperfectionem importat, sumenda est in conceptu formalis eiusdem significationis.

(c) Ubi notanda sqq. (1) in Christo datur ἄλλο, γάλλο, sed non ἄλλος ἄλλος. (2) qvicqvid Christo in tempore datum est, ipsi secundum humanam naturam datum esse intelligitur. (3) ubi ea, qvae in V. T. regibus vel prophetis erant communia, uni καὶ ἐξοχὴ attribuuntur, ibi illa vere de Christo intelligenda sunt. (4) una natura agit cum communicatione alterius, qvod uniuersique proprium est. (5) Beneficia Christi valent antrorum & retrorum,

(d) Ex. gr. in articulo de *praedestinatione* : qvemadmodum Deus in tempore salvat , sic ab *aeterno* , salvare decrevit. Ut se res habet in executione , sic etiam se habuit in intentione. Porro in articulo de *poenitentia* : nonnunquam in scripturis affliguntur salus & *iustificatio toti penitentiae συεχθοχιῶς*, propter potiorēm eius partem, fidem scil. in Christum ,

stum, qvae sola iustificat. De reno-
vatione: qvicqvid efficaciae in scriptu-
ra bonis operibus tribuitur, reduci in
fidem debet. Non omnia ea sunt
causae, qvae ad salutem sunt necessa-
ria, sed ad ordinem salutis plura re-
quiruntur. A iustitia facti ad iustiti-
am personae N. V. C. &c. Item in
articulo de eucharistia: qvicqvid di-
ctum est apostolis, non statim ipsis
dictum est ut apostolis &c. vid. B.
Moebii theologiam canonicaam.

§. V.

Qvinto loco erit *Historia sacra*,
(a) qvae suppeditabit notanda, cir-
ca loca, (b) tempora, (c) familias,
(d) res iudaicas, (e) nec non illas
ecclesiae N. T. (f) in specie perso-
nas (g) politias, (h) ritus (i) cibos,
(k) vestes, (l) aedificia (m) &c. (n.)

N O T A E.

[a] Non exclusa profana: haec enim,
qvo affinior rei gestae, & magis coaeva,
eo felicius suam praestabit operam.

[b] Qvam considerationem alias speci-
aliter suscipit *topographia sacra*. Ex
notitia autem constitutionis loco-
rum

rum multa possunt accipere lucem in peregrinationibus sanctorum viorum , populi Israëlitici itineribus , terrae sanctae sortitione, in vaticiniis prophetiarum contra vicinos populos , in fructibus & animalibus , quae non quaevis terra profert & alic.

[e] Qvam curam specialiter suscipit chronologia sacra: Qvamvis autem universa sacrorum temporum cognitio difficultatem habeat , etiam laborandum est , ut seriem chronologicam , qvam ipsa scriptura insinuat , nobis perspecta reddatur: nam inde multae difficultates tolli poterunt.

[d] Qvas recenset genealogia sacra , cuius fundamenta Deus in historia Mosis frustra non poni curavit. Ex illis enim multa in genealogicis difficultia solvi queunt.

[e] Tum ex sacra scriptura , tum ex Josepho petendas , ad explicationem status ecclesiastici , politici & oeconomici , in populo iudaico obtinentis , non uno nomine necessarias.

[f] Qvas dabunt evangelistae , acta apostolorum , epistolae , primi seculi scriptores iudei , gracci & latini coae- vi.

[g] Per-

[g] Personae omnis generis hoc loco intelliguntur, sive sint eae, quae loquuntur, scribunt, agunt &c. sive sint illae, ad quas alii loquuntur, scribunt, agunt &c. Qvod vero de persona dicitur accipi etiam potest de toto populo, qui personae rationem habet. Illa persona, quae loquitur, scribit, agit &c. cognosci debet, quo affectu illa haec talia egredit. Sunt vero alii *affectus connati*, qui pro varietate regionum, climatum, aeris, temperamenti, aetatis, educationis, consortii cum hominibus diversi sunt: alii *quasi connati*, ad praesens negotium assumti, qui desunni possunt vel a tempore, quo scriptor vixit, vel a statu scriptoris, qui consideratur, vel ut privatus, vel ut in publico officio constitutus. Hinc prout is vel domi fata secunda aut adversa habuit, aut officii ratione motus, aut ex conditione rei publicae, laeta aut tristi, eaque vel præterita vel praesentia vel futura commotus affectum in scribendo prodit. Haec, ut ante dictum, transferri possunt ad integros populos, qui similiter cum in V. T. tum in N. T. ratione regionum & statuum, sub quibus vixerunt, aliter atque aliter fuerunt

D 4

affe.

affecti , & ex eo diversi eorum mo-
res & affectus sunt dijudicandi.

[b] In qvibus vixerunt scriptores sacri ,
hebraea scilicet , babylonica , persica
& romana . Ex harum enim consti-
tutione , regimine , iuribus ac pri-
vilegiis multa iterum explicari pos-
sunt , imo debent .

[c] Qvi obtinuerunt apud haebreos in
sacris , politicis & oeconomicis . Hi
ergo si saltem indigitantur , vel ad
illos fit allusio , ex hac notitia , tex-
tus talia continens , necessario illu-
strari debet . Qvia vero hebraeia
gentilibus multos didicere ritus , et
iam horum cognitio interpreti utilis
erit .

[d] Qvi vel concessi vel prohibiti fue-
runt , vel etiam in deliciis habiti .

[e] Qvae iterum obtinuerunt aliae in
sacris , aliae in politicis , aliae in do-
mesticis apud haebreos praecipue ,
non neglectis gentilium vestibus .

[f] Non tantum circa templum hiero-
solymitanum , ad qvod crebro pro-
vocatur & alluditur , sed etiam cir-
ca structuram communium aedificio-
rum .

[g] E.g. circa monetas varias , pon-
dera , mensuras liqvidorum & arido-
rum .

§. VI.

§. VI.

Sexto loco *exegetica* sacra ex
universal exegesi media sive instru-
menta interpretandi accipit & sua
iungit, *analysis* (a) scilicet gram-
maticam, (b) rhetoricam (c) cum
logica, (d) & *collationem* (e) *textus*
(f) & *contextus*, (g) locorum pa-
rallelorum, (h) *doctrinae* de articu-
lis fidei (i) & aliarum explicatio-
num. (k)

N O T A E.

- [a] Sive resolutionem vel distributio-
nem *textus* in ea, quae ipsi insunt, ut
interpreti constet, de quo obiecto
scribens vel loquens agere velit.
- [b] Haec considerat (i) *singulas voces*
extra contextum spectatas (a) ra-
tione *etymologiae*, quae indicat vocis
radicem, quae, si in lingua hebraea
non amplius supereret, ex linguis co-
gnatis praecipue arabica, est restitu-
enda. Huc faciunt lexica bene or-
dinata. [a] ratione *homonymiae* sive
diversae acceptiois, quae sunt col-
ligendae & ex illis famosior & ausita-
tior significatio est indicanda. Pro-
batur

batur autem significatio famosior (1) e locis , ubi vox indubitate sub illo significatu occurrit. (2) ex harmonia aliarum linguarum cognatarum, quae vel hodie usu sunt tritiores & alicubi vernaculae , vel saltē in pluribus monumentis literariis superstites. (3) e versionibus antiquis & probatis , vocem constanter ita transferentibus. (4) e testimonii doctorum ebraeorum & graecorum celebriorum. Huc iterum conducere possunt tum lexica , tum concordantiae. (c) ratione synonymias , quae ad vocis significationem aliquid quoque conferre potest. (d) ratione emphaseos sive ponderis in voce, quae eruitur in hebreo e radice eiusque primaria significatione, vel, illa praesertim deficiente, e vocibus conjugatis , vel radicibus cognatis , vel collatione parallelorum , vel ex ritu aliquo. In graeco illa similiter deducitur ex vocis origine , ex partibus componentibus , ex usu vocis apud probatos autores , ex ritibus & historiis , quo voce praelente allusum est. (e) ratione partium orationis , generis , numeri , gradus , temporis , personae , modi , accentus & spiritus &c. (2) perpendit integras plures , circa quas similiter illarum

illarum structura , usuratio in aliis
scripturae locis , aeqvipollen-
tes phraes in scriptura passim oc-
currentes , idiotismi & emphases
sunt notandae. Facient huc ea ,
qvae in §. 1. huius partis ex gramma-
tica sacra fuere collecta.

(c) Per qvam non tantum tropi & figu-
rae . in textu latentes , observantur
& evolvuntur , (qvem laborem iu-
vabunt ea , qvae §. 2. huius partis
fuere allata) verum etiam dispicitur ,
in qvo genere textus sit ? & qvae sint
argumenta vel explicantia , vel proban-
tia , vel illustrantia , vel amplificantia ?
qvae collegimus in theologia homi-
lerica p. 3; sqq. huc qvoqve transfe-
renda.

(d) Perqvm diiudicantur termini ,
propositiones , & argumentationes ,
qvae in textu deprehenduntur. Con-
sulenda sunt eum in finem , qvae §. 3.
huius partis fuere deducta. Semper
autem respiciendum erit ad genui-
num & primum subiectum , de qvo
praedicata omnia dicuntur , nec
non ad modum , qvo illud cum his
cohaeret.

(e) Qvia analysis grammatica circa vo-
ces & phrases , extra contextum con-
sideratas , fuit occupata , necessari-
um

um nunc erit collationem instituere cum textu ipso, contextu & aliis, ut inde pateat, quae vocum phrasium-que significatio, quaeque emphases prae aliis in certo loco sint adpli-candae.

(f) In collatione *textus* respicitur ad nexum vel ordinem & omnes circumstantias membrorum orationis interpretandae, ut constet, quid subiectum, quid praedicatum, quid alia permittant.

[g] In collatione *contextus* respiciendum est ad antecedentia & consequentia, ex quibus de occasione dictorum, scopo loquientis, & modo loquendi constare, adeoque de ipsa intentione autoris & sensu textus dati diiudicari debet. Hac ratione scriptura ex scriptura explicatur, ut alias, quilibet est verborum suorum interpres. In specie circa *scopum* cuiusque libri notandum, quod sit *vel didascalicus*, (sive narratorius sive dogmaticus) *vel elenchticus*, *vel adhortatorius*, *vel dehortatorius*, *vel consolatorius*. Scopus ille generalis libri interdum patet ex titulo seu inscriptione libri, interdum ex saepius repetita lectione demum colligendus est. Specialis vero scopus alicuius

alicuius capitii vel particulae iudicari debet ex immediate antecedentibus & consequentibus, & simul iudicandum, qva ratione specialis cum generali cohaereat.

(b) In collatione locorum parallelorum observatur vel parallelismus *realis* vel *verbalis*. Ille est, qvando eadem materia in diversis locis traditur, si. ve iisdem, sive diversis id fiat verbis & phrasibus: Datur ille in seqvencib. casibus. dum confertur vel historia cum historia, vel sententia cum sententia, vel typus cum antitypo, vel parabola cum sua explicatione & contra. Hic parallelismus est argumentativus, & hinc verba spiritus S. ita sunt explicanda, ne destruant alibi ab eo dicta. Parallelismus vero *verbalis* est convenientia ratione vel vocum, vel phrasium, absqve argumenti vel scopi convenientia, & hic magis illustrat, qvam probat.

(i) Collatio doctrinae de articulis fidei, quae & analogia fidei salutatur, est vel qvoad res ipsas, articulos scil. revelatos, ad salutem nostram necessario credendos; vel qvoad verba, qvibus articuli illi proferuntur. Utraqve hoc loco est respicienda & petenda ex libris symbolicis, ultimo
vero

vero ex illis scripturae locis, in quibus sedes propria & genuina alicuius articuli habetur, & ex professo verbis propriis & perspicuis traditur. In explicatione igitur textus cuiusdam semper videndum est, ne analogiae fidei contrarius producatur sensus.

(k) Quas nobis dederunt interpres vel christiani, sive veteres sive recentiores, qui scripturam sacram vel ex toto vel ex parte illustrarunt. Quamvis eorum collatio absolute necessaria non sit, expediet tamen illos evolvisse, cum alii, donis aliis instructi, non tantum eadem viderint, & sic confirmamur in nostra sententia, sed & alia interdum & plura observarint, atque hac ratione ulterius informamur.

§. VII.

Praeter haec generalia media, etiam specialia sunt observanda in textibus, literali in genere, (a) historico, (b) typico, (c) allegorico, (d) parabolico, (e) exemplari, (f) propheticō, (g) evangelico, (h) epistolico, (i) apocalypticō, (k) pure dogmatico, (l) adhortatorio, (m) commandatorio, (n) promissorio, (o) derivativo. (p)

NO-

NOTAE.

- [a] Textus literalis qvidem in generetatis absqve suis speciebus non datur; qvia tamen per illas omnes vagatur, necessum erit, & ea nosse, qvae circa qvemvis textum, qvatenus literalis est observari debent. Sunt autem praeter generalia media, consideranda seqq. (1.) *Sensus literalis arctetendus est, nisi (a) in fidei articulos, aut charitatis praecepta, palam & vere incurrat: (b) & simul evidenter ex eadem vel aliis locis tropicus sensus determinatur & probetur.* (2.) *Praesertim ubi unque fidei articulus ex professo traditur, ibi urgendus est sensus literalis proprius sive lô pñlōy.* (3.) *Verba, qvae continent primam cultus novi vel foederis institutionem & recentem praeceptionem, sine tropis, sensu literali proprio sunt accipienda.* (4.) *Declaratio & demonstratio tropici sensus debet esse (a) evidens, (b) sufficiens.* Vide horum canonum illustrationem apud Glass. Phil. S. lib. 2. part. 1. tract. 2. sect. 1. p 371. sq.
- (b) In textu *historico* praeter generalia media, ostendenda sunt [1] facti *antecedentia*, occasio, motiva, connecta &c. *ingredientia*, partes scil. historiae ipsius, qvae secundum circumstantias: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis*.

xiliis, cur, quomodo, quando conside-
rari debent: consequentia, eventus,
effectus, adiuncta &c. (2) investi-
ganda alia loca, ubi eadem historia
seu fusius seu concisius traditur, qvia
inde circumstantiae vel omnes vel
plures colligi poterunt. [3] opera
danda est, ut, qvae diversa aut pu-
gnantia esse videntur, debite conci-
lientur. Quem in finem repetenda
sunt, qvae partis huius §. 3, not. (d)
de personis, temporibus, numeris,
locis &c. fuerunt suppeditata. (4)
Videtur interdum, ac si eadem hi-
storia diversimode enarraretur, ubi
revera tamen sunt historiae diversae,
qvoad qvasdam duntaxat circum-
stantias sibi mutuo respondentes. (5)
collatio historiarum secularium con-
ducit ad illustrationem textuum hi-
storicorum: hi tamen ex illis non
sunt corrigendi vel mutandi.

(c) In textutypico praeter generalia ob-
servanda sunt lqq. (1) In typis prophe-
ticis accurate dispiciendum, ubi Chri-
stus cum officio & merito se ipsum mani-
festet, & ubi alia divina tum beneficia,
tum indicia. (2) Plus est saepe in typo,
quam in antitypo & vice versa. (3) Ty-
pi ad antitypum applicatio fiat commoda,
& ultra tertium comparationis non
exten-

De mediis pervenienti ad finem 65

extendatur, aut in antitypo illud statim negetur, quod in typo non fuit.

Instituitur autem communiter applicatio typi ad antitypum, tum respetu personae, tum officij & factorum

(4) *Quando unius rei multi sunt typi partiales, tunc de antitypo non ex uno, sed ex omnibus coniunctim sumtis, faciendum est iudicium.* (5) In explicatione typorum V. T. accurate dispiendendum: an umbra, an vero ipsa veritas proponatur? h.e. an sub involucro typorum, an vero expressis oraculis prophetae de Christo vaticinentur? (6) *Impii, in quo impii fuerunt, Christi figura & typus nequaquam constituendi.* (7) *Una res typus & figura quandoque duorum, etiam contrariorum, sed alio & alio respectu* (8) *in typis & antitypis appellationum quandoque permixtatio contigit, ut adumbratum umbrae, & vice versa, nomen sibi vendicet, Ezech. 34, 23. Hof. 3, 5. Glassl. c. p. 465 sqq.*

(d) In textu allegorico praeter generalia notanda sunt sequentia: (1) si ipse spiritus S. in scriptura aliquid allegorice interpretatur, ibi tuto sequimur allegoriam. (2) In praecepsis moralibus, promissionibus, comminationibus & tractationibus dogma-

E

tum,



tum, nullae sunt quaerendae allegoriae (3) leges ceremoniales, V. T. tractari possunt allegorice, quia sunt umbra futurorum bonorum (4) Historiae item allegorice possunt tractari, ita tamen, ut historica veritas inconcussa servetur, nec allegoriae cum principalibus partibus historiae pugnant. (5) sint analogae fidei.

- (6) In textu parabolico praeter generalia sequentia sunt observanda: (1) Parabolae tum in V. T. tum in N. T. occurunt, in illo vero minus, in hoc creberrime. (2) Christus suis in concionibus parabolico docendi genere crebro usus est, non sine causa. (3) In parabolis si integræ accipiuntur, tria sunt: scopus illius, similitudo sensibilis, lumen literalis constans, & res, ad quam parabolae fit accommodatio. (4) In explicatione & applicatione parabolarum legitime instituenda, primo omnium attendendus est scopus. Indicatur autem scopus in ipsa scriptura plerumque vel sub initium vel in fine parabolarum (5) In parabolis non opus, nimia cura in singulis verbis anxium esse, neque in singulis eius partibus adaptatio & accommodatio ad rem spiritualem nimis expedita quaerenda est. (6) Theologia parabolica non est argumentativa, scilicet

cet ex sensu literali prioris partis , & ex accommodationibus illatis. Alias potest argumentum desumi ex sensu literali posterioris parabolae partis , qui respectu prioris partis est sensus mysticus ; nec tamen ex omnibus , ad quae pars prior accommodari a nobis posse videtur , sed ex eo tantum , cuius vel expressa in scriptura fit mentio , vel quod ex scopo parabolae certo eruitur , probatio deduci potest & debet . Glass . l.c . sect . s.p . 483 . sqq.

(f) In textu exemplari praeter generalia & specialia circa textum historicum adducta , seqventia adhuc sunt notanda : (1) exempla *canonica ordinaria* non tantum sunt similitudinis , sed etiam paritatis & aequalitatis , adeoque simul probantia & illustrantia : propter regulam universalem , quam praeponunt , & ob inductionem perfectissimam , quia non datur exemplum contrarium . (2) Nequaquam exempla regulae opposita , sed exempla regulae divinae consona , faciunt rem esse de jure divino . (3) Exempla *extraordinaria* & facta heroica non constituant regulam (4) exempla , quae videntur turpia & obscoena , castas requirunt aures & mentes . E 2 . (g) In-

(g) In *textu propheticō* praeter genera-
lia adhuc sequentia sunt observanda :
(1) verus sensus prophetae inven-
tur ex complemento ; & in primis
ubi , quod olim in V. T. praedictum
est , in N. T. repetitur & declaratur.
Hinc illae formulae : *Tunc impletum*
est verbum &c. Id autem simul notan-
dum , ex eventu quidem substantia-
lia vaticinii intelligi posse , non au-
tem aequa semper circumstantias
alias . (2) futura quandoque prac-
nunciantur forma optandi , impe-
randi & imprecandi . (3) saepe pro-
phetis idem est , hoc vel illud di-
ctum iri , aut certo nomine appella-
tum ; atque rem actionem talem fu-
turam , prout verbis declarari po-
test . (4) Vaticinia verbis tum praे-
teriti tum praesentis temporis pro-
feruntur . (5) Prophetae de rebus &
cultu N. T. utuntur phrasibus , qui-
bus res sui temporis & speciatim cul-
tus leviticus proprie designatur . (6)
Iudem etiam adhibent huius vitae res
ad representandas res vitae alterius .
(7) In sermone propheticō freqvens
est personarum loquentium mutatio .
(8) Prophetiae saepe sermonem su-
um intercidunt , ut quaedam alia in-
serentes paulo post ad sermonem pri-
orem

orem redeant. (9) Prophetiae a typō ad antitypum saepe transeat, & cum dealiis rebus sermo ipsis est, ad Christum scripturae nucleus convertuntur, & de eo in sensu literali prophetant.

(b) In textu *evangelico* praeter generalia & specialia, circa textus historicos & parabolicos adducta, adhuc observanda sunt sequentia: (1) quae renda est praecipue quatuor evangelistarum harmonia & videadum, quae nam à pluribus, quae nam ab omnibus narrantur. (2) ratio ordinis, quoad potissimas narrationis partes ex circumstantiis quidem investigari ac deprehendi possunt, in coeteris autem non raro coniecturis tantum piis atque eruditis locus est relictus. (3) In specie, quantum ad annos ministerii Christi atque ordinem rerum gestarum attinet, maximere spiciendum est ad paschata, quae in aetatem istam cadunt. (4) connectiones narrationum ab ipsis evangelistis indicatae, quae vel continuum vel interpolatum ordinem denotant, attendi debent.

(i) In textu *epistolico* praeter generalia notanda veniunt leq. (1) crebro res piciendum est ad acta apostolica,

E 3 qvae

qvae incrementa & pericula christiana religionis describunt. 2. Videntum ad mores & statum eorum, ad qvos qvaelibet epistola scripta est, (3) speciatim Paulus peculiaria qvadam verba & formulas loqvendi aut voces alias receptas in nova significacione, ac interdum iuxta morem loqvendi patriae suae usurpat.

(k) In textu *apocalyptic* praeter generalia & specialia, circa textum prophetatum notata, adhuc specialia sunt observanda, qvae commentarii suppeditabunt

(l) In textu *pure dogmatico* praeter generalia, (1) id praecipue observandum est, ut tam diu inhaereamus sensui literali, qvam diu abest ratio urgentissima, qvae ad tropum confugere iubeat. [2] qvae incidenter tractantur dogmata, iudicanda sunt ex sede propria, in qva ex professo, & pluribus perspicue agitur (3) si in aliquo scripturae loco tractatur dogma fidei, qvod si literalisensi inhaereas, ratio nostra non potest satis apte conciliare cum dogmate alio, alibi revelato; non tamen ideo literalis sensus deferendus, sed utrumque dogma iuxta sensum, qvem verba ex usu loqvendi important, ex intentione spiritus S. significatum credendum est. (m) In

[m] In textu *adhortatorio* praeter generalia notetur (1) scopus cum prima, rius, qvi est exacta sanctitas vitæ. tum secundarius, qvi est agnitione multitudinis ac deformitatis peccatorum nostrorum. (2) Praecepta sunt distinguenda, cum alia respiciant omnes, alia aliquot tantum peculiariter aut unice. (3) Distinguunt etiam debent praecepta, qvae in casu temptationis proponuntur, ab illis, qvae extra temptationis casum feruntur, (4) Praecepta negativa includunt contraria affirmativa & vice versa. (5) Praecepta aut prohibita una specie, praecipiuntur & prohibentur etiam species cognatae.

(n) In textu *comminatorio* praeter generalia notetur: (1) comminationes divinae, qvae sunt de poenit. proprie dictis infligendis, intelligendæ sunt cum exceptione poenitentiae. (2) Mala temporalia ipsa interdum etiam conversis revera immittenda praedicuntur, qvamvis non amplius poenae rationem habeant. (3) Quando spatum, qvod in comminationibus denominatum fuit, vel prorsus sublatum vel prolongatum legitur, certum est, comminationem suisse conditionalem.

E 4

(o) In

(o) In textu *promissorio* praeter generalia notentur, (1) promissiones legales vitam aeternam promittentes, intelligendae sunt sub conditione perfectae obedientiae. (2) promissiones legales, quae sunt de bonis temporalibus, intelligendae sunt cum exceptione crucis & castigationis. (3) promissiones bonorum terrenorum magis ad V. T. quam N.T. pertinent. (4) quaedam promissiones de bonis terrenis ita accipientes sunt, ut sub temporalibus spiritualia intelligantur. (5) promissiones *evangelicae*, quae sunt de gratia Dei & spiritualibus, revera significant seriam Dei voluntatem, de bonis illis conferendis. (6) Bona, quae conferenda promittuntur, alia sunt ad id, ut homines credant, alia autem si crediderint.

(p) In textu *derivativo* praeter generalia notentur (1) de dictis ipsis, quae allegantur (1) adducuntur nudae sententiae, (2) allegantur vaticinia & quidem vel ut completa, vel ut complenda. (3) allegantur dicta, quae continent facta nude adhibita, sine relatione typi. (4) allegantur dicta, quae continent typos cum anti-

ty.

typis, conferenda. II. *de autoribus*,
qui ex V. T. in N. T. allegantur: (1)
interdum nullius plane autoris fit
mentio, (2) interdum mentio fit
Dei, (3) interdum mentio fit ipsius
scripturae in abstracto, vel genera-
liter vel specialiter. (4) nonnun-
quam mentio fit scriptorum, vel ge-
neraliter vel specialiter. (5) inter-
dum allegatur V. T. ita, ut non unus
aliquis locus allegationi respondeat,
sed ad sententiam variis in locis ex-
pressam respiciatur. (6) interdum
allegatur locus ex V. T., qui unde pe-
titus sit, dubium est (7) interdum ex
duobus autribus unum testimonium
adducitur. III. *de autoribus qui V. T.*
in N. T. allegant (1) qvaedam dicta
V. T. ab uno solum autore N. T. al-
legantur, (2) qvaedam a pluribus ci-
tantur, (3) in N. T. introducun-
tur a scriptoribus personae V. T.
allegantes legitime & illegitime IV.
de verbis formalibus, quibus loca V. T.
in N. T. repetuntur (1) Interdum iis-
dem verbis sententiae repetuntur,
vel levissima facta mutatione. (2) in-
terdum verba mutantur, vel per
additionem, vel per subtractionem
vel per imitationem sensu retento.
(3) interdum verba N. T. verbis loci
alle.

allegati contraria esse videntur. (4) interdum ex V. T. in N. T. allegata qvoad verba non inveniuntur in V. T. V. de verbis formalibus quibus fit allegatio (1) aliqvando nulla plane forma allegationis adhibetur. (2) ut plurimum ex parte allegatorum autorum adhibentur formulae, ut dictum est &c. VI. de sensu, quo dicta V. T. in N. T. elegantur (1) dicta V. T. in N. T. aliqvando citantur, ut literalis verborum sensus retineatur secundum quem ad rem N. T. fuerunt per spiritum S. directa; (2) interdum generalis doctrina ad speciale materiam applicatur. (3) Aliqvando dictum speciale de una re ad rem similem aliam in allegatione applicatur. (4) Aliqvando speciale dictum de una re ad aliam magis peregrinam applicatur certam ob rationem. (5) Interdum speciale dictum ad generalem materiam transfertur. (6) Interdum dictum allegatur ex V. T. non de eo, qvod immediate docet, sed de eo, qvod istud includit. (7) Interdum dictum typi e V. T. ad antitypum in N. T. transfertur. (8) Interdum qvod in V. T. de corpore, ecclesia dictum est, in N. T. ad caput, Christum applicatur. (9) Inte dum contra mentem autoris ex V. T. dictum

Etum allegari videtur , sed revera
nulla est pugna. VII. *De coniunctio-*
ne plurium locorum , (1) in allegatione
V. T. interdum ex pluribus unum
compositum testimonium constitui-
tur. (2) Uni interdum assignatur
qvod ex pluribus est peti-
tum. (3) Interdum plura dicta ab
uno autore in N. T. distincte ponun-
tur, ab altero ut unum proferuntur.
VIII. *de usu allegatorum* (1) allegan-
tur aliquando dicta V.T. *vel ad ostendendam* Dei in praedicendo verita-
tem, *vel ad vitam formandam*, *vel ad il-*
strandum, *vel ad probandum do-*
gma. (2) qvando dictum V. T. ad
dogma aliquod probandum in N. T.
allegatur, interdum est ipsa conclusio,
interdum enunciationem inferen-
tem suppeditat. (3) interdum unum
dictum V. T. diversis adhibetur.
Vid. Kesleri Disp. inaug. de dicto-
rum V. T. in N. T. allegatione.

§. VIII.

Considerata textuum specia-
lium interpretatione , ad integri
alicuius libri explicationem (a) per-
gimus. In eo respiciendum puta-
mus ad nomen libri (b) eius auto-
rem , (c) occasionem scribendi , (d)
chronologiam , (e) scopum (f)
princi-

26 generalibus & specialibus.

principale obiectum, (g) summam
(h) & partitionem. (i)

N O T A E.

(a) Quamvis alii saepe praemittant integrum alicuius libri explicationem, quia omnino ex illius scopo aliisque circumstantiis perspectis, specialis alicuius particulae explicatio dependet, nihilominus, captui auditorum nos accommodantes, eosdem per particulas libri ad integrum librum manuducere volumus.

(b) Qvod inscriptio libri offert.

(c) Considerandus secundum nomen, officium & huius praestantiam.

(d) Occasio scribendi saepe particularis datur, quae interea scopum universalem, omnes & singulos informandi respicit.

(e) Ex conditione enim temporum & personarum, gravissimae difficultates saepe tolli possunt.

(f) Scopus universae scripturae est Christus salvo cuiusvis libri scopo speciali; quia nonnunquam expressius significatur in libro ipso aut titulo eius, nonnunquam in ipso sermone, aliquando ex lectione libri deum intelligi potest.

(g) Qvod colligendum ex principali scopo & totius libri connexione.

(h) Sum-

- (b) Summa sive argumentum peti etiam debet ex scopo & obiecti ad scopum relatione.
- (c) Partitio simplicissime ostendat nobis hora totius libri obiecta.

§. IX.

Exantlato vel hoc vel illo labore boni interpretis erit , ex sensu sive mente spiritus S. investigata conclusiones (a) quasdam elicere (b) & eas saltem indicare. (c)

N O T A E.

(a) Per conclusiones intelligimus tales propositiones , quae dogma fidei vel morum exhibent , & intextu expressis quidem verbis non continentur , attramen per legitimam consequentiam inde deducuntur. Appellantur illae etiam porismata , conlectaria , loci communes , usus &c.

(b) Debet interpres hunc laborem suscipere , quia conclusiones illae non minus scripturae sensus sunt , quam ille qui sub expressa litera exhibetur. Modus generalis illas eliciendi est ille , ut per legitimam consequentiam deducantur , sed ita , ut cum analogia fidei consentiant. Modi ,
speciales

speciales, iisque varii, in theologia homiletica fuerunt indicati, & hoc loco omnino repetendi & applicandi.

(e) Ab interprete id saltem exigimus, ut conclusiones eliciat & indicet. Prolixa enim earum tractatio & applicatio ad locorum communium tractatores & homiletas spectat. Diversum exegetae & homiletæ in hoc passu laborem eleganter expressit B. Goezius R. E. p. 162, sq. *Homileta* facit textus enodati applicationem ad status personarum ecclesiasticarum in specie, iuxta ductum theologie asceteticae. *Exegeta* ad eiusmodi specialia sese non demittit, sed proptermodum, sine respectu ad status, usus generaliter exponit. *Homileta* cum ornatu rhetorico agit. *Exegeta* sine omni ornatu & artificio ullo rem proponit. *Homileta* suo loco affectus ingerit & proptermodum in affectibus triumphat. *Exegeta* nec ullum, nec unquam, nisi ubi affectuum in textularent semina, affectum attingit.

T A N T U M.



Ja 1688
St

ULB Halle

008 867 569

3



3.
3
IO. ANDR. SCHMIDII D. PP.

ABBATIS MARIAE - VALLENSIS

COMPENDIVM

THEOLOGIAE EXEGETICAE

IM PRIVATIS LECTIONIBVS.

PERPETVA EX
ILLVST



HELM

Imp. JOH. MELC

Bibli

Typis. HEN

ANNO



UR 3 P 111